

scribit experientia, dum thermas calefactivas, exiccativas, resolutivas, aperitivas & attractivas esse respectu plurimorum affectuum præter naturam deprehendimus: at ejusmodi effectus sulphuri præ reliquis fossilibus maximè convenit. Nec dubia cuiquam videatur perennis sulphuris duratio: propagatur enim per singularum partium accessiones, ut alia fossilia; nec deficit statim, sed longo tempore suam incensionem continuat, etiamsi natura vorax & absumens sit ignea qualitas, propterea quod continuo materia combustibilis regeneretur, ut utar verbis Lucretii:

Nimirum quia sunt multarum semina rerum

Ex infinito satis omnia suppeditari

Putandum.

Non enim absurdum est, materiam semel combustam vim novam ad tempus concipere, rursus ardere, continuumque fervorem adjuvare, quod in Ætina Poeta quoque miratur, dum inquit:

Cætera materies quæcunq; est fertilis igni

Vt semel accensa est, moritur, nec restat in illa

Quod repetas: tantum cinis est sine semine terra est.

Hinc semel atq; iterum patiens, ac mille perhaustis

Ignibus, instaurat vires &c.

*refutatio
prædictæ
opinionis.*

Hæc ferè communis & maximè famosa de calore thermarum assertio statuitur, quam suis nihilominus difficultatibus intricatam esse Job. de Dondis de font. Patavinis cap. 6. Julius Alexand. lib. 7. Salubr. cap. 4. & alii observarunt. Concedamus enim pro saporis & odoris argumento Sulphur esse ponendum, res nihilominus adhuc dubia relinquatur, cum non tantum sulphuris sed & aliorum fossilium & metallorum qualitates peculiari modo medicatis aquis impressas deprehendamus. Sed calorem respiciendum esse dicunt una cum odore, saporeque sulphuris: at unde calor & ignea